

Harum Tabellarum, quælibet continet columnas tres; in quarum prima ad sinistram scripti sunt Gradus Quadrantis circuli à Gradu 20 usque ad 79: in secunda scriptæ sunt Tangentes gradibus è regione positis correspondentes, posito sinu toto partium 100: in tertia scriptæ sunt Secantes iisdem gradibus è regione positis correspondentes, posito eodem sinu toto in 100 partes diviso. Poterant addi gradus alii ante vigesimum, & supra septuagesimum nonum, usque ad nonagesimum, cum suis Tangentibus ac Secantibus; sed hoc ad institutum præsens nec necessarium est, nec utile, quoniam in rerum dimensione ope Quadrantis Geometrici (cujus gratiâ Tabellæ hæ constructæ sunt) aut nunquam, aut rarissimè abscinditur à Regula dioptrica gradus aliquis citra vigesimum, & ultra septuagesimum nonum.

Tangentes, quæ in secunda cujusque Tabellæ columna continentur, substituuntur in altitudinum, latitudinum, ac profunditatum dimensionibus per Quadrantem Geometricum palmis, pedibus, passibus, &c. posito quòd operatio instituat in distantia à re mensuranda 100 palmorum, pedum, passuum &c. Secantes verò in tertia cujusque Tabellæ columna contentæ substituuntur iisdem palmis, pedibus, passibus, &c. in dimensione linearum diagonalium seu scalarium, positâ eadem à rebus mensurandis distantia. Sed hæc omnia meliùs ex sequentibus intelliguntur.

Constructio Tabellarum facillima est ex Tabulis Sinuum, Tangentium, & Secantium. Si enim Tabellæ quæcunque & ad quemcunque radium seu sinum totum constructæ accipiantur, & ex sinu toto abjiciantur omnes zeri præter duos, ut maneat totus sinus 100 tantum partium, deinde ex Tangentibus ac Secantibus, quæ Gradibus Quadrantis respondent, abjiciantur à dextera tot notæ, quot zeri ex sinu toto abjecti fuerunt; erunt residuæ notæ illæ eadem, quæ in secunda & tertia Tabellarum harum columna continentur. Nunc usum earum subjicimus.

PROPO-